

Bigam botanicam, sc. cervariam nigram et pini conos ... / præsiede Rudolpho Jacobo Camerario ; publico philiatrorum examini submittit Georgius Albertus Camerarius.

Contributors

Camerarius, Georgius Albertus, active 1712.
Camerarius, Rudolf Jakob, 1665-1721.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingæ : Typis J.C. Reisii, 1712.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mc9ha9va>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

M759

6 60.³
34,35-6

BIGAM BOTANICAM,

Sc.

CERVARIAM
NIGRAM
ET PINI CONOS,

In Alma

EBERHARDINA,

P R Æ S I D E .

RUDOLPHO JACOBO
CAMERARIO,

Phil. & Med. Doct. Hujus Prof. Publ. Ord.

Facultatis Medicæ h. t. Decano Specta-
tissimo,

Agnato suo Honoratissimo,

Publico Philiatricorum examini submittit

GEORGIUS ALBERTUS CAMERARIUS,
Oettingensis,

Ad d. Septembr. hor. mat.

IN AUDITORIO MEDICO.

Anno MDCCXII.

T U B I N G Æ.

Typis. JOH. CONRADI REISII.

10.

2XL

00
C. D. S. N.
BIGAM BOTANICAM

CERVARIAM

NIGRAM

ET PINICONOS,

In Atlas

FERREHARDINA

et alia

RUDOLPHO JACOBO

CAMERARIO

Pharmacopoeia

Pharmaceutica

et alia

Agnesi

et alia

GEORGIO ALEXANDRO CAMERARIO

Pharmacopoeia

Pharmaceutica

et alia

et alia

TOBIAE

Pharmacopoeia

Σ. Θ.



Isunt periculis nostris : *Ita Plinius de medicis. Non est animus, apologiam scribere. Animadvertenda modo diversa agrorum ratio videtur & obvertenda. Sunt utique difficiles, suspicaces, meticulosi, pleni diffidentia, qui nolint exponi tentaminum periculis: Sed nec desunt, qui opposito credulitatis praedictio occupati nimis quam faciles sunt ad concipiendam fiduciam, praequa vel experiuntur in se ipsis, vel exponunt se medicastis, aut inquietare medicos non desinunt, ut hoc, illud, istud etiam usurpent, ne tardent tentare nova, quotiescunque vel morbus urget, vel fama remedium laudat; nolunt esse ultimi, quos beet largiuscule promissa salus. In gratiam utriusque ordinis bigam botanicam usui externo & interno eminenter talium, podagricorum, commendatam disputationi publice destinavi, bona spe fretus, utriusque etiam partis patronos aequi bonique rem omnem consulturos, & in medium prolaturus, quae tali pratenorum remediorum examini convenient. Deus ipse misereatur dolentium!*

Cervaria Nigra.



N historiâ morborum, qui anno MDCCII *Vratislavia* grassati sunt, *Collega Academ. Leopold. Natur. Curioser.* inter notabilia bene multa observavit *Cataplasma*, quod proponunt pedibus *Illustris Podagrici* applicatum, post horae circiter spatium acutissimos dolores, sine ullo ægri damno, penitus sustulisse. Nec occultant tale remedium, sed palam faciunt, fuisse *radicem Cervaria*, nondum

quidem in officinas pharmaceuticas receptam, olim tamen à *J. Raico*, in tr. d. pod. laudatam. Addunt, eum in finem hæc ab Iphis commemorari, ut ii, quibus alibi eâ utendi occasio suppetit, vires ejusdem periclirentur, & uberiolem de effectu ejus cognitionem medicis non invidcant.

Non lateat podagricos, inveniri etiam nostris in montibus umbelliferam, quæ pro cervariâ omni jure nobis habenda videtur. Nam ex figuris plantarum præstantioribus, quas *Leonh. Fuchsi* Herbarium Germ. in fol. nr. 449. & 450. exhibet, cervaria alba & nigra, sub titulo *feseleos æthiopici* & *peloponnesiaci*, quarum illa semine octangulo, Botanicis *Laserpitii* species, circa urbem nobis nondum visa, hæc autem, pro remedio habita, nostræ herbæ prorsus convenit. Crescit loco in primis alto & inculto, solo aspero & petroso, inter pimpinellam sax. geranium magno flore, betonicam, succisam, chamærubum saxatilem, ericam, lychnidis noctifloræ aridas augusto reliquias, &c. & ab ipso hoc loco natali argumentum habet aliquod bonitatis. In hortum academicum inde translata floruit nuper, semen modò perficit. Plena descriptio legi poterit apud Botanicos, in historiâ e. gr. Plantarum *Raji*: Quærentibus tamen per partes declarari merebitur. Itaque Cervariæ huic nostræ *radix* est in summo capillata, filis aridis tenuibus multis erectis circa caulis exortum quasi comata, fusca foris, nigricans, intus alba, longa, crassiuscula, secta parum resinosi consistentiâ, sapore & odore liquoris exsudans: *Folia* ramosa, pinnata, dentata, inferiora majora ex radice orta colore thalictro aquilegiæ, consistentiâ dauræ similia, superiora vaginæ instar alas caulis, non cavi, sed medullâ farcti, amplectuntur: *Umbella* insignes longis petiolis exhibent flosculos candidos, petalis quinque integris, æqualibus, præditos; quibus in horto & campo copia muscularum & insectorum volantium, omine non malo, solet insidere: Tandem *gymnodispermus* non videtur primò fore talis, qualis fit cùm ad maturitatem accedit, scil. ferre semen latum, planum, ovale, anethi & pastinacæ latif. simile. Hanc cervariam vocavit *C. Bauhinus* in pin. Daucum montanum apii folio majorem, ejusque proposuit varietates tres; nobis una suppetit, quibus sunt plures, nostram modò descriptam cum suis conferant. Synonyma ipsius leguntur ibidem *Saxifraga Veneta*, & *Libanotis Nigra*; quo titulo venit in Flor. Norib. *J. G. Volckammeri* ex:
Mo-

Morifono. Quâ etiam occasione novum ab etymologiâ sperandi salubris usûs argumentum: Cervaria enim, elaphoboscum, cervi pabulum dicit, & Libanotis thus redoleat. In semine potius & radice quàm herbâ hoc nomen tueretur: Halitum spirat non ingratum, lenis quasi mixturæ terebinthinaceæ & umbelliferæ. Nec illud prætermittendum, herbam à virium bonitate denominatam, *Veelgutam*, judicio *J. Bauhini*, totâ plantâ accedere ad hanc nigram. Itaque in *Meth. Plant. emend. & auct. Raji*, sub *Oreoselino* vel comprehendetur, vel eò referenda erit, hæc sive Cervaria sive Libanotis.

Non herba nec semen, sed radix hujus umbelliferæ laudatur remedium podagricis externum. Adscribitur ipsi sulphur anodynum, rectè, inter mitigativa locum merebitur, siquidem effectum qui ab ipsâ speratur præstiterit porro, non tamen quale in narcoticis; non tam stupore partibus afflictis inferendo ager, quàm resolvendo potius & confortando, quandoquidem leni resinosa acrimoniæ convenientior creditur hic operandi modus. Audiat specificum, postquam vires laudesque suas satis comprobaverit, rationem facti jam quærent curiosi. Abundare autem insuper dicitur sale ad eò corrosivo, ut ferrum penetret; ori nostro vim intulisse hactenus non sensimus. Ex sulphure autem esse, quòd intra corpus administratum iram & bilem concitet. Laud. *Fuchsi* cal. sicc. urinam & menses movent, asthmati & tussi medentur istæ seseleos species. Quam prærogativam in istâ virtute antipodagricâ radix nigra præ albâ, præ aliis porro non dicam aliorum generum simplicibus, e. gr. libanotide coronariâ, sive *rosmarino*, qui vino incoctus nervini omninò titulum meretur, sed saltem præ congeneribus umbelliferis habeat, experientiæ determinandum manet. Familia quidem & locus plures offerret non ad eò dissimiles: *Peucedanum* germanicum non procul indè eo præcisè loco, quem ante duo quasi secula noster designavit *Fuchsius*, adhuc invenitur: Ad radices illius ericeti juxta viam consimilis saporis *pastinaca* latif. & angust. Daucus nascitur: Nec procul abest *Seseli* pratense montanum, *Anglorum saxifraga*: Præ *saxifragâ* autem istâ *venetâ* alterius *saxifragæ pimpinellæ* acrimoniam ut ferrent afflictæ partes? Etiam prata darent semen evporiston polychreston *Cervi*. Et quid dicendum de podagricariâ Gerhardi herbâ, hortorum vitio sylvestri *angelicâ*? multo magis autem de resinosa sativæ radice? Ne multiplicetur numerus, mane-

ant interim suæ laudes cervariam, dum sustineat examen, & calculis podagricorum albis approbetur pluribus.

Radiciis autem arefactæ quantitas sufficiens coquitur cum vino albo potente in cataplasma. Et hanc formulam suaderet analogismus, quandoquidem polychrestus celebratur passim in casibus chirurgicis inflammatoriis usus epithematum, sive specierum vegetabilium nervis amicarum & resolventium vino incoctarum. Utique, quod congeritur vel detinetur in membro podagrigo, vel transpirat suo tempore vel resorbetur revehendum ad quæcunque colatoria, ubi benè res cedit. Sic absolvitur paroxysmus, absque evacuatione per locum affectum sensibili, nisi sudorem velis attendere. Remittit autem simul importuna Methodicorum strictura. Ne quis tamen speret absque contradictione cum vino se usurpaturum illud cataplasma, obstat Expertus quondam Rupertus, qui deterret, prætendens tali usu vini externo se læsum; alios itaque cavere jubet. A vino, scripsit olim *Hildanus*, in arthritide, etiam externis medicamentis admisto, planè abstinendum esse, (quod forsan nullus ante me observavit) certò ut tibi persuadeas velim, dolorem enim reliquaque symptomata vehementiora fieri ab usu vini à quatuor abhinc annis in memet ipso, deinceps quoque in aliis, observavi. Hæc ille. Uter fidem merebitur. Uterque ad experientiam provocat. Nisi circumstantiarum omnium non semper satis perspectarum condigna haberi possit ratio, à talium contradictionum scandalo artem nostram liberare vix licebit. Si frigidè admotum fuisset, metus videretur justior. At loco dolenti applicari jubetur calidè. Nec enim sunt multi, qui imitentur *Hippocratem*, qui aph. 25. s. 5. à frigidâ largè affusâ podagricis solvendorum dolorum spem fecit. Alios etiam liquores tali usui destinant: Libanotin cum farinâ lolii & aceto podagris utiliter illini voluit Dioscorides; Qui distinguit alibi: Scordium cum aceto acri, vel aquâ, commendans. Nostratium quidam *Symphyti* radicem cum urinâ ut ischiadi sic & podagræ imponunt. Qui carmina amant, *Q. Sereni* versus legant, ubi cum vino misceri & adhiberi reperient varia. *C. Celsus* distinguit tempora: Casu, quo dolor vehemens urget, tumor autem nullus est, post calida per diem fomenta, noctu pedibus dat cataplasmata calefacientia, maximeque hybisci radicem, ex vino coctam, &c. *Fuchsius* sanguineis (nam diversam methodum diversis tem-

temperamentis ordinat) aceto veteri cum rosaceo locum affectum rigare suadet, præsertim si in alto hære dolorum causa videatur; Si verò in superficie dolor consistat, per vini & olei usum magnopere juveris. Alios citare supersedemus, quia non tam autorum quàm ægrorum testimoniis opus est ad id, ut fiat fides remedio.

Verumenimverò in genere suspecta sunt externa multis, parum indè sibi boni promittunt, plus mali metuunt, qui non modò ad exempla & historias provocant usûs minus fausti, sed etiam rationem periculi fundant in eo, quòd podagra non sit simplex partis morbus, sed subsit ipsi aliquid veniens ab altiore loco, conatus qualiscunque naturæ purgandi vel exonerandi suum corpus, plus minus vel plethoricum vel cacochymicum. Qui proin volunt paroxysmos sua percurrere tempora, nolunt turbari intempestivè; Qui etiam non præsens modò curant, sed & prospiciunt in futurum. Quotiescunque igitur externorum usu salus obtingit podagricis, ut præter spem sedentur dolores, præter metum nil sequatur mali, tunc omninò tale phænomenum non simpliciter moveat admirationem, quàm sollicitudinem potius, an & quomodò in prudentiam verti possit practicam, quod vel casu evenit, vel tentanti succedit, ne sub prætextu, patienter ferendum, quod mutari non potest, cruciatibus relinquatur, qui juvari posset, æger. Quàm longa est tristis illa quadragesima, intra quam podagricis spem fecit *Hippocrates* l. 6. aph. 49. obtinendæ quietis. Uti prolongatur pro! dolor, modò ne medici culpâ, quam tamen suspicatur *Listerus*, ita utinam citò, tutò & jucundè possit abbreviari. Sic meruit proponi radix ab illis, qui ad annum 1699. ita priùs scripserant: *Sub quibuscunque nominibus prostant topica venalia, apud nos fidem decoxerunt.* &c. Sustulit itaque in dicto casu dolores radix, juxta id, quod de cataplasmate promittitur: immanissimos dolores, inflammantes, & mentem pene emoventes, illicò tollit. Juvit in summo doloris. Illâ vice. An pluribus in posterum? Aut plures ægros, & quales? novitios aut veteranos, &c? Non additur. Sc. ideò proponitur, ut si qui sint experti remedium, suo calculo comprobent, vel qui experiri ament de successu socios reddant certiores, & vel ex hâc parte de publico mereantur benè. Sine damno sublatis leguntur isti dolores. Famosa omninò sunt topica, ex duplici capite: Tanquam vel frustranea, vel suspecta, imò damnosa. Siquidem audiuntur querelæ variorum varia-

riæ,

riæ, qui vel dolorum exacerbationem, vel dolorum quidem mitigationem sed artuum nodos, impotentiam, contracturam reportarunt; Quibus adde magnum, quem mireris, numerum recensitum specialius à *W. Musgrave* illorum, quibus podagra etiam ab externis fuit facta In-
teina, Anomala. In medio tutior ire videtur balsamica *cervaria* radix, nec simpliciter molliens, nec nimis stimulans, non repellens, nec tamen attrahens; nec enim hic agitur de casu, quo revocanda in artus per vesicatoria & suppedanea foret podagra. Sunt utique inter podagricos, qui omisso externorum usu, utcunque involutas partes rectius & melius confirmatas servarunt & conformatas, ac alij, nescio quæ non experti: sed sunt etiam & morbus & ægri in differentiâ admodum magnâ. Quàm tenet ille modum in quibusdam lenis & tolerabilis, apud alios tristi fato dirus, quàm ferocius sævit, diutius hæret, facilius & longius evagatur? Nec solus dolor externa quibusdam extorquet. Etiam superstes forte languor & tumor quid poscunt. Sufficiat unum proposuisse rationi non suspectum remedium: Transeat nimia farrago talium, simplicium, præparatorum, compositorum, galenicorum, chymicorum; Nec speciosa deessent è chirurgico fonte. Nisi quò plura recensentur, eò magis confunderentur ægri. Duobus modò ex *C. Aureliano* depromptis caput hoc claudatur corollariis: Ipse quidem cùm animadverteret, fieri transitum ab uno externo ad aliud, donec reperiretur fortè, quod congruum, prætendit, pro corporibus alium ex aliâ specie liberatum iri: Hanc autem esse experimenti tentationem, quæ non destinata passionibus adhibet adjutoria, sed probanda. Indè processit ad notandum errorem facilem & frequentem multorum, qui ea laudant, quæ in declinatione profuisse observarunt, cùm jam suâ sponte levigarentur accessiones; jubet, ea iterum initiis usurpare, sic frustranea, noxia, comprobaturos.

Conus Pini.

P*inus* quidem nobis non est, sed *Pinaster*. Urbana, domestica, sativa Italiam ornat; Sylvestris cum *Abiete* & *Piceâ* Sylvam nobis versus occasum Nigram facit: Pini tamen uti characterem, sic & nomen passim gerit. Adeò vulgaris, ut operæ non videatur pretium, occu-

occupari in distinguendâ nostrate ab alijs speciebus vel in alpium jugis vel ad maris littora quærendis, ex quarum ferè confusarum incertitudine ægrè se extricant Botanici. Transeant modò hîc exotica, ubi agitur de domestico, passim obvio abundè, quo cum illa conferri jam non possunt.

Duo sunt, quibus insignis Arborum illa Triga fructificationem suam instituit: *Julus* & *Conus*. Ille congeries apicum, dum vere turgēt natura vegetabilis, copiam farinæ diffundit, suo a. polline sparso evanescit; Hic fructus squamosus, durus & siccus, in Coni seu metæ formam turbinatus, indè crescit & perficitur, bina sub singulis squamis semina, alata, continens, notante Rajo, ramulis pediculo brevi ita firmiter adhæret, ut cùm novi erumpunt, anniculi adhuc in ramis hæreant. Distinguo hæc duo, quæ natura distinxit, & in ramis separavit: Nunquam ex julo fit conus. Verùm ille in generationis negotio masculinæ genituræ vim præstat, hic fœminini uterinæ an ovarii habet rationem, juxta verosimilem de *sexu plantarum* sententiam, olim ex professo pertractatam; Ita ut una e. gr. pinus ferat tam id quod fœcundat quàm quod fœcundatur, androgyna.

In officinas medicas receptus fuit hætenus Neuter. Prior quidem, pini *julus*, ad analogiam musci repentis clavati, quandoquidem sulphure vegetabili scatet, cum non modò sociis coniferis, abiete & piceâ, sed & juliferâ sive amentaceâ & nuciferâ corylo, &c. mereretur omninò, quarum farina colligatur ad modum sem. offic. lycopodii, examinetur per istas generum differentias, & usui destinetur medico. Alter autem, pini *conus*, sativæ quidem nobilis est nucleo suo magno, dulci, & amygdalarum æmulo, leniendi, temperandi, nutriendi facultate prædito. Nec fas est filere omninò in transitu jucundum in mediâ ipsius pulpâ spectaculum botanicum, novelli scil. *germinis*, quippe quod ad contemplationem corpusculi latentis seminalis organici adeò evidentis & singularis, tam magni & polyphylli, curiosos naturæ invitat, ad rimandum vel mirandum generationis processum excitat. Ne quis tamen deesse putet tale germen, aut alium esse characterem internum pinastro. Essentialia utrinque modo se habent eodem; Hîc saltem omnia sunt in parvo. Scil. singulis squamis sua duo semina, tantilla, pyri similia, quæ tenues membranas alarum instar

rectâ protendant, recondunt autem simile germen intra pulpam, fa-
poris subdulcis, non in duro fragili cortice, sed nigrâ tunicâ. In ma-
ceratis, decoctis conis hæc omnia patent melius.

Illi ergò vel tandem coni, ex compactili squamarum acervo tur-
binati, non virides & recentes, quin potius postquam exaruerunt de-
hiscetes, quorum tanta quotannis copia inutilis perit per omnem
sylvam nigram, à proximis annis incipiunt multiplicare numerum Ma-
teriae Medicæ. Fama fert & venit è castris nostrorum ad Rhenum,
aut & hybernis ipsorum, *bibi* ad modum thé & coffe *aquam* per in-
coctos illos aridos pini *conos alteratam*, celebrari quim maximè ob
devictam *Podagram*, quin imò frequentari & extendi longius tan-
quam prophylacticum polychrestum, non tam à militibus inferioris
ordinis, quàm ab ipsâ potius militiæ nobilitate. Quo fuerit inventum
Autore, aut ex quo herbario depromptum, quâ vel necessitate vel oc-
casionè tentatum hoc utique evporiston, nos later; nec in hoc mul-
tum erit momenti situm. Liceat modò rationem novi remedii exa-
minare, atque adeò parare disputationi materiam.

Fructus est arboris *resinifera*, quæ suo succo pingui balsamico
specifico ita scatet, ut non modò fronde suâ frigori resistat & hyeme
vireat, sed & terebinthinam communem fundat & olibanum germa-
nicum, sive thus vulgare. Paucis tangam, quia nemo nescit, tere-
binthinæ in genere, quippe in species subdividendæ, vires & usum
tam externum vulnerarium, maturativum, balsamicum, quàm inter-
num pro alvo ducendâ, expediendo pectore, & urinæ viis expurgan-
dis. Undè iudicium de partibus pini, quo plus minus de isto succo
participant. Ita Botanici decoctum & infusum summitatum pinûs
in cerevisiâ aliove liquore idoneo ad calculos renum & vesicæ lau-
dant, nec non ad scorbutum & thoracis affectus celebrant, provocant
ad multos turionibus pini à scorbuticis affectibus liberatos. Ut facile
crediderim, quod fama tulit pariter, milites ad stagnantes rheni
aquis scorbutico longisque febribus conflictatos egregiam sensisse opem
à simplici *turionum pini* & *trifolii fibrini* decocto. Nam primo vere
turgent resinoso succo, tunc colligi, siccari, servari amant. Huc specta-
ret *Aqua pini* destillata, *Essentia* cognata *Abietis*, & si placet ex com-
munionè characteris *Ens cedri* ad vitam longam *Helmontii*. Quin &
ebamepitys, parva, humilis pinus, nam foliis pineorum æmulis resi-
nosa

nos quid olet, & iya arthritica dici meruit, ex verticillatis cum chamædry jam olim ad podagram commendata, & infuso theæ æmulo frigidioribus conveniens.

At at, pro usu decocti novelli famosi non seliguntur partes pini terebinthinâ vel resinâ turgidæ, nec tales dum virent coni, sed missis illis præferuntur lignosi, exsucco coni. Quorum balsamum maximam partem vel evolavit vel est fixatum. Alia igitur à præcedentibus horum est conditio. Equidem ab ipsâ retrò antiquitate medicâ præstantes pini domesticæ conos in similem remedii formam decoctos fuisse legimus. *Dioscoridis hæc sunt: Pineæ nuces integræ recentē arboribus decerpæ in passo franguntur, & decoctæ, vetustæ tussi ac tabitudini conferunt, si quotidie ex eo liquore terni cyathi bibantur.* Juxta *Galenum* totus conus sive strobilus cum Marrubio recenti decoctus si postea addito melle modico iterum coquatur, donec ipsum decoctum mellis accipiat crassitudinem, inditum est ad thoracis pulmonisque excretationes conveniens. *Cal. Aurelianus* chron. l. 2. cap. 14. ad phthisin proponit decoctionem sequentem: Viridem strobilum fumentes, fructuosum, qui in semet habeat quædam resinalia, (ita & abietis coni dum virent autumnii initio multam resinam fundunt, versus hyemem a. maturitatem consequuntur; Piceæ totus conus, si recens ex arbore venit, plenus est resinâ, & gratissimum spirat odorem.) quem tribus sextariis immixtum decoquimus, donec pars dimidia liquoris infumatur: tum detracto strobilo, erit residuæ parti miscenda mellis libra vel glycyrrhiza. tunc decoquendum, donec crassitudinem sumat. Cæterum cortices & fructus aridos coniferarum siccandi & stringendi scopo proponunt Botanici; idque potenter præstare dicunt nuces etiam coniferæ cupressi. Eccur a. rebus ita se habentibus lignum pini non decoquitur? Uti quidem abiegni rasurâ bono cum successu sæpè numero se usum testatur *S. Dale* in Pharm.

Quale igitur sit conorum pini nostratis decoctum addisci rectius non posset, quàm eundo in rem præsentem, degustando medicatam cono aquam; interim paucis describi merentur ipsius qualitates. Decoctum ita obtinetur colore rubellum, eò magis, quò fortius & diutius ebullierit, sine spumâ, aspectu jucundum, clarum, postquam flocculi, quorum copia innatat, resederint: colliguntur enim ad fundum & liquore per filtrum trajecto siccantur quasi in faculam,

atro-rubram, lignosi potius quàm resinosi pulveris, quippe qui nec vini spiritu solvi, nec igne liquari, voluit. *Rubedo* ista decocti pulchella conservatur ab *alkali*: Ab *aceto* deletur in momento. Liquor ita mox comparet citrinus; phænomenis ligni nephritici consimilis. Porro, dum coquitur, dum bibitur, nullam quidem singularem naribus & ori gratiam offert, *odoris* enim quasi nihil habet, nec multum *saperis*, nihil tamen adversi, aut asperi, vel acre ipsi inest, non adstringit, quin levis, lenis, qualiscunque mollis & subdulcis gustatur sapor, qui facile videatur bibendus, neminem fortè offensurus. Non est nausæ. Addi potest ad rationes pro hoc decocto, quod sit durable; cùm diu steterit per dies neglectum, non tamen deprehensum fuit fuisse in corruptionem.

Undè quòd agit tale decoctum & valet, referendum erit ad hæc tria capita. Primò *exclusivum est vini*. Præstat omninò tempus terere sorbillando calidam, quàm ingurgitando merum. Nolim fieri podagricis suspectus vel exosus, prohibendo vinum, quanquam *Celsus* vinum primo loco posuerit inter ea, à quibus sibi qui temperaverant, securitatem totius vitæ consecuti fuerint. Igitur in mitiorem partem cum *Aureliano* dicam: Ne quid nimis, maximè vini, aut indigestionis, aut veneris. Quod si quis habitum peccandi acquisiverit, ut observare diætam sine damno posse non videatur, talis juxta aph. 49. 50. 51. s. 2. tractabitur. Decoctum verò sobrietatis, abstinentiæ, temperantiæ medium, subsidium, succedaneum vini & vinosorum spirituum, quorum non tam usus quàm abusus crimen habet, vel ex hac ratione laudes merebitur. Nec cum vino conos eoqui audio; sufficit aqua. Etiam cum vino non subsistit illa rubedo. Cùm decocto vinum affunderetur, periit æquè citò color ille ruber. De cætero, paradoxon est, vino tentari podagram, eoque multo; sed internam, expellendam è corpore in artus. Novum, sed & vetus, consilium, quale ex epid. Hipp. l. 2. s. 6. *In volvulo tenui frigidum vinum multum merum secundum rationem dare, usque dum somnus sit, aut crurum dolor fiat*, peculiari dissertatione prosecutus est *Job. Ant. van der Linden*. Atqui colicam spasmodicam frigidis potius curandam monuit olim *Paulus Aegineta*, absque eo ut agatur in artus, aut inferat parem, docuit *Præsidis B. Parens* in d. Spasm. int. & d. Col. spasm.

Secundò, multum sibi vendicat in hoc remedio *ipsa aqua*, diluens & perluens viscera & artus, futurum adeò cum sordibus corporis lixivium, ad & per sua loca dimittendis idoneum. Huc spectarent laudes potuum calidorum, quæ leguntur & audiuntur passim, nimis prolixæ, nimis etiam notæ, quàm ut hîc proponi debeant. Quò purior itaque aqua, & simplicior, eò melior pro hoc usu; vicissim tamen, sicubi cruda fuerit vel impura, etiam hoc parabili militibus medio incoquendo utcunque corrigenda. *Hippocrati aqua vorax audit: edaces dicuntur aquæ potiores Galeno.*

Quod reliquum est tertio adscribendum erit *levi tinctura pini*, quam per coctionem conciliavit aquæ, *roboranti & balsamica*. Minus quidem convenire visum solvendæ resinæ vehiculum vel menstruum est aqua, si quid tale conis superest: Nec mastiche tamen frustra decoquitur, aut famosum lignum, in aquâ. Nec frustra conos ita coqui, fidem faciunt citata decocti phænomena; utut terebinthina non prævaleat. Si cui lubeat intendere liquoris vires, decoctum tenue superfundat tenellis floribus & herbulis, cujusvis naturæ appropriatis, pro infuso theiformi magis medicato.

In comparationem itaque venire poterit decoctum cum aliis liquidis, curandæ hæctenus podagræ destinatis. Inter quæ cum è primis sit *decoctum radicum & lignorum*, audiendus erit Commentator Hippocr. *Heurnius* ad aph. 49. & § 5. l. 6. ubi vere & autumnò, præmissis præmittendis, decoctum tale ita commendat per 40. dies bibendum, ut diversis diversa destinet, humidioribus sarsaparillæ decoctum, chinæ siccis, frigidis illud quajaci aut sassafras. His add. ex ENC. D. 3. A. ult. decoctum *Ligni Lentiscini*, & vel maximè Obs. Centur. 1. & 2. decoctum *Ligni & quatuor radicum*, cum aquâ & quasi subtriplo vini paratum, largissimè hauriendum, ut obtineatur urgente quanto, quod quali solo præstari non posset: Hæc talia enim hæctenus communiter ulteriorem confirmationem practicam præstolantur. Quas autem Ille circumstantias & differentias ægiorum personales observandas inculcavit, consultum omnino esto attendere: nam & militibus qui laudant remedium ad spem curationis favet vitæ genus; præsumitur esse ipsis robur tam nativum quàm motu, exercitiis acquisitum, obfirmatum.

Epistola de podagrâ curatâ per *D. A. Cneusselium* diu quoque per septimanas & mentes bibendum liquorem exhibet, sed arcanum, ejus tamen vel ideò mentionem facere fas sit, quia paradoxum multis, sapuisse acidum, & quia comitatus sententiis practicis notabilibus, quorum curiosis specimen in memoriam liceat revocare: Scil. non esse, quòd tantum sibi arroget Medicus, ut velit naturæ præscribere, quandò ea purgare, quandò sudare, quandò vomere, mingere, aut talia agere debeat. Satiùs esse, naturæ id permitti, ut tales eligat vias sibi, quales magis ipsi expediunt. Ut autem hoc præstare possit natura, debere ipsam roborari, & resolvi sal podagræ vel tartarum. Hoc fieri per medicamentum unum, scil. per specificum Autoris arcanum, diu usurpandum. Sub cujus usu non solum diverso tempore diversas, mox djaphoreticas, mox diureticas, mox purgantes, mox alterantes vires observari, in eodem subjecto: Verùm etiam in diversis hominibus pro varietate naturarum fieri in uno, quod non in altero. Non enim medicamentum esse, quod evacuat, sed naturam; uti nec acidulas. Proin à naturæ ministris non plus, quàm suffecerint vires, posse exigì. Hinc esse virium inventarium, inde curationis beneficium. Si medio anni spatio notabilem profectum non senserit æger, eundem pro desperato habendum.

Nefas præterire tertium, quod pro dignitate tamen tractari modò nequit, scil. *Lac*, cui multum debemus, quo etiam prostat devicta podagræ furia. Asinino quidem veteres corpus vel aluisse vel per alvum purgando eluisse prætenduntur, rariore inter nos exemplo. Serum humectans & abstersivum laudes publicas nuper meruit. Alumnos plures habiturum esset Idem ille simul cibus & potus, *Lac*, si socios ferre posset, nisi excluderet ex diætâ non unum, quod talium gula sibi negari ægrè fert; adde, quod variabit, prout in corpus cadit: nam impurum, quò plus nutriveris, eò magis læseris.

Reflectendo tandem apud animum super diversa ista potuum genera, in hoc videntur convenire intentiones plurium: Humido temperato eluere quod heterogeneous concipiunt vel sanguini & visceribus adhuc inhærens, vel ad artus jam depositum, pro podagræ tam præservatione quàm curatione. Non desunt tamen, quæ ex adverso contra istiusmodi potus possunt & solent excipi, objici; quæque adeò gravant etiam simplicius pini decoctum. Ex parte morbi, præ-

tenditur non ita facile vel debilis esse archei idea, vel occasio ciedi facultatem expultricem evitabilis, vel eluibilis cacochymia podagrica. Ex parte agrorum, non omnibus promiscuè à podagrâ liberationis spe n reliquit *Hippocrates*, terminos requisivit habiles. Ex parte remedii, suspectus est in potu etiam medicato excessus. Elui stomachum, ut rugis plicisque privatus evadat papyraceus, ferendis in posterum injuriis etiam levibus immar futurus; Liquidi tantam copiam indifferenter ad partes vario fato determinabilem, siquidem evagetur vel congeratur ad loca aliena importunè hæsuram, nocituram, regeritur, metuitur: Additur, tentamina jam olim similia, cum *diacentaurio*, *diascordeo*, non benè cessisse, testimonio *Aureliani*: ex jugi medicamine poto quosdam in celeres vel tardas venisse passiones & interiisse.

Satis gravia sunt hæc momenta, quæ & in hoc remedii genere cum prudentiâ versari suadeant, ne quis empiricè inhærendo talibus obliviscatur medendi methodi, & artis suam cuique tribuendi medicæ. Specialiùs, ad *pini decoctum* redeundo, duo superesse videmus extrema circa usum remedii in se non mali, quæ vitari prudentis erit; facilis hinc est hyperbole, promittens plus quam præstare potest, illinc in defectu peccat contemptus rei non arcanae, non pretiosæ. Bene secum agi reputent, qui in despectum quorumcunque altioris opinionis à tanto morbo per simplicia reportarunt victoriam. Cum *pineatâ* quidem *aquâ* ita ferè comparatum, ut potior videatur metus, ne destituat ægros, quàm ut lædat. Optandum omninò, ut profit porrò pluribus. Exemplis enim ad quæ fama provocat fidem derogare non ausimus; ab uno tamen successu ad alterum, ab ægro ad ægrum, à paucis ad multos simpliciter concludi non posse, meminimus & dolemus. Itaque hoc quidquid est virium antipodagricarum, & quicquid ulteriùs concernit prætensum decocti usum ad curationem vel præservationem morborum inter milites, (quos mirum non est, tantâ & tali autoritate motos argumentari à majori ad minus, à podagrâ ad leviores habitos morbos) id omne æquum est submittere litium practicarum arbitro; Nec enim tentaminum medicorum finis est, nisi fidelis & sufficiens experientia.

Hic finis coronat opus!

Appendix.

Quod superest spatium dabimus hâc occasione remedio pariter novello, simplici & vegetabili. Interest enim curiositatis botanico-practicæ, scire, an apud nos etiam nascatur, quod celebratur ab exteris. Sit ergò ulteriori ventilationi thesis: Esse *Linum Catharticum* quam in herbatione publicâ vidimus herbulam pusillam, gracilem & exilem. Non nova est Lini species, exstat in pinace *C. Bauhini*, sed novum prædicatum, quod ibi non legitur, est *Anglorum, Gerardi, Parkinsoni, & Raji*: Ex cujus hist. pl. herba cum caul. & capitulis vino albo per noctem super cineres calidos infusa serosos humores purgat satis validè. Item: Sumi potest vel herba contusa, vel ejus exsiccata pulvis, cum tantillo crem. tart. & sem. anisi, & purgat sine molestiâ. Laudatur etiam in app. Cent. Obs. Nat. Cur. radici *Parera Brava* admiscenda, ut bibatur instar *Thée* specifici, casu quo dolores calculi comitem habent alvum astrictam. Cum itaque sub principium augusti ad marginem prati montani monstraretur nobis hoc *Linum pratense flosculis exiguis C. B.* jam ferens semina, placuit illud colligere, siccare, & concisi drachmam unam cum ferventis aquæ librâ semis infundere, atque adeò experiri omissis condimentis ejus qualitates. Pulchrè quidem & clarè hinc ex flavo virebat infusum, sed inodorum ferè & insipidum, nisi fuisset sapor herbaceus; nihil amari, nec nauseosi. Miscebatur cum lacte, absque eo ut cogeret in grumos; cum infuso gallarum, sine nigredine: Chartæ cœruleæ maculam conciliabat non rubram, sed viridiusculam. Pro complemento, simplicis infusi calidi sex uncias degustando jejunos absorpsi, absque nausæa quidem, sed & absque effectû; turbari ventrem, moveri alvum non sensi Ego quidem Respondens. Hoc non obstante, utut non satis constet, quâ de causâ hâc vice hoc tentamen non confirmaverit vires purgatrices, sed vernæ fortior largior dosis suo tempore sit exploranda, interim tamen herbulam illam aliam dici aut diversam à lino cathartico non finit locus, tempus, figura, character. Illa, non tam *Chamelini* apud *Clusium*. quàm melior, *P. Magnolo* etiam teste, apud *D. Chabream Lini minimi*; Hic, fundatus in capsulâ, calyce quinquepartito non caduco exceptâ, quæ matura dehiscit in quinque carinas, quarum singulis duo sunt semina, plana, oblonga, glabra, flava. Hinc *Linocarpus Thalii*, non *Alsine* quædam, petalis integris & rotundâ capsulâ lino similis, sed genuina lini species, quia *decaßpermos*, utut præter lini morem sit *foliolis ex adverso binis*, quantum viribus etiam à lino sativo, cujus non herba, sed semen oleosum, cortice mucilaginosum, in usum venit, recedat? & cur materia medica purgans sit non contrahenda, sed amplificanda? aliàs disquirendum manet.

SOLI DEO GLORIA!